



**Practicarvm Conclvsionvm Jvris In omni Foro
frequentiorum Dominici TT. S. Onvphrii S. R. E. Presbyt.
Cardin. Tvschi, Tomus ...**

In Qvibvs Præter Spiritvales, Ecclesiasticas, Legales, Ivdiciarias,
cæterasq[ue] materias Canonicas, prophanas, ciuiles, criminales, &
mixtas, in vtroque foro ... aliqua multarum insignium Ecclesiarum;
Ordinum Regularium Militiarum, Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, &
aliorum locorum statuta, ...

Toschi, Domenico

[Coloniae Agrippinae], 1623

S. D. N. D. Pavlov Pont. Opt. Max. Dominicvs Titvli S. Onvphrii, S. R. E.
Presbyter Cardin. Tuschus, P. F.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94957)



S. D. N.

D. PAVLO V.
PONT. OPT. MAX.
DOMINICVS TITVLI S.

ONVPHRII, S. R. E. PRESBYTER

Cardin. Tuschus,

P. F.

SVDIIS legum dum ab ineunte ætate vacarem, Beatiss. Pater, ac deinceps, tum priuatis, tum publicis causis agendis, tum denique multis, & illis quidem præcipuis, iudiciorum muneribus, foris, & in Vrbe obeundis, quam plurima notatu digna mihi passim occurrerent, dedi operam, quantum potui, & quæcunque vel studio, vel vsu comparata didicissem, ea ipse in commentarios summa cum diligentia quotidie referrem, quæ mihi aliquando, ac forte cæteris vsui esse possent. Cumque iam multa collegissem, operæ præteritum me facturum putabam, si etiam iuris, tum ciuilis, tum Canonici Consultissimorum virorum fere omnium responsa, quæ consilia vocantur, summam colligerem, & una cum aliis obseruationibus meis in vnum quasi corpus conflata digererem, ut in tam multiplici opinionum varietate, & iudiciorum quasi conflictu, congruentes, discrepantesque sententiæ, rerum difficilium declarationes, additiones, exceptiones, quas ampliationes & limitationes vocant, tum decisiones singularium questionum essent in promptu, & sub omnium conspectu collocarentur. Itaque responsa omnia viginti quinque veterum, & insignium vtriusque iuris peritorum à Dyno, cæteris antiquiora, usque ad Alexandrum ab Imola, ea diligentia in compendium redegisti, ut nihil fere eorum singuli, siue data opera, & consulto, siue obiter, & aliud agendo pertractauerint, quod non sit à me suo quidque loco, ac certo rerum ordine optime dispositum, & collocatum, ut facile cuique sit, non modo consentientium, verum etiam dissidentium inter se Doctorum sententias (etiam si quid in re aliqua sibi non constare eorum quispiam videatur) statim inuenire. Ex hoc igitur labore meo tria potissimum, si fallor, ab huius ætatis hominibus percipi beneficia posse confido. Primum, quod omnia ferme ipsorum, quæ collegi, Iurisprudentum dicta, vel confusa digeruntur, vel obscura declarantur, vel occulta in lucem proferuntur. Et quicquid ex inepto, quod appellant, summario in illorum Responsis, vel omisum, vel difficile inuentu erat, hic cuique obuium & promptum redditur, & ob oculos ponitur. Ex quo aliud etiam consequitur commodum, ut hinc quilibet, siue patroni causarum, siue Aduocati, siue denique Iudicis

Tom. I.

(† 3

dicis

EPIST. DEDICATOR.

dicis munere fuitgatur, facile queat omnes fere occurrentes casus inuenire, & materiam, de qua controuertitur, explicatam inspicere, quo prompte, & absque magno labore causas in foro tueri, de iure respondere, ac demum ius dicere possit. Postremum illud est (quoniam ars longa, ac vita breuis) vt quod ab vno perfici non potuit (cum facile sit inuentis addere) id alii maiori studio, & otio, prætermisissos à me, seu veteres, seu recentiores Iuris peritos perlustrando, eorum sententias colligere, & inchoatum opus perficere, atque omnibus numeris absoluere poterunt. Hos igitur exiguos & qualescunque labores, licet rudes, & imperfectos, in octo volumina distinctos Tibi, Beatissime Pater, libenter offero, dedico, & consecro, tuoque grauissimo iudicio subiicio, vt eos pro insigni sapientia tua iudicare, suprema autoritate protegere, singulari clementia tueri, meque tui studiosissimum, ac multis nominibus tibi deuinctissimum, summa humanitate complecti, & fouere Beatitudo Tua non grauetur, quam vt mundi Rector Deus diu incolumem, ac saluam esse velit, nuncupatis votis exopto. Romæ, die 15. Mensis Augusti. MDCV.

A D